

liberumq; ad excipiendas imagines ipsi manibus palpe-
mus, quo magis tamen ad speculum accedimus vel ab
eo recedimus, aut rem aliquam ei admovemus, vel re-
movemus, eo magis etiam imaginem post speculum
visam, tanquam in amplo satis spatio, ad illud accede-
re, vel ab eo retrocedere videmus, aut rei simula-
crum, tanquam propius vel longinquius positum, con-
tuemur.

§. III.

Verum enimvero, dubitare quis haud immerito pos-
set, num adeo exacte æquales sint distantiaæ illæ inter
objectum & speculum ex una, & inter hoc idem, atque
illius imaginem, ex altera parte. Quamvis enim prio-
ris mensuram capere liceat, posterioris tamen non item
determinatu tam facilem esse. Sed rem ita se haben-
tem monstrabimus primo, aut verius illustrabimus,
duobus specialibus exemplis, rationes deinde quoque
exemplorum inferius demonstraturi. Concipiamus v.
gr. in casu fig. 1., *AB* esse speculum e pariete aliquo sus-
pensum, *CD* vero objectum illi oppositum, sub quo
hic perpendiculariter constitutus sit oculus *EK*. Hic
certe videbit objectum, aut ejus simulacrum percipiet
in *cd* quasi positum, quem locum æque a speculi tergo
distare, ac facies ejusdem ab objecto, non equidem geo-
metrica & exacta mensuratione, sed sensuali conjectura
& æstimatione manifestum est. Sic in fig. 2. casu quo-
que, quanquam oculus *E* remotior ab objecto *CD*, ac
desuper inspiciat speculum *AB*, nihilominus si distantias
invicem conferemus, convenire illas sensibilibus, oculari
judicio facile patebit.

§. IV.

A planis ad convexa transitum facientibus secun-
dum